

nomine, ab amicis occisi est positus in homicidium. Et dum funus interfecti ante tribunal portaretur et vestimentum cruentatum in quatuor sedilia poneretur, necnon Miksso pro homicidio impetitus tribunali presentaretur, negavit se fecisse. Post hoc iuridice gladius suus evaginatus intra quatuor sedilia positus fuit sententiatus et denuo econverso gladius sic evaginatus in manus Mikssonis predicti est diiudicatus et presentatus et receptus. Modo amici occisi volunt, ex quo funus presens fuit et vestis, dicta leyczzaichen, et intra quatuor sedilia posita sit et gladius evaginatus in manus Mikssonis sententiando presentatus et receptus sit, quod ipse ulterius nullam defensionem iuridicam habere poterit ipso iure. Miksso vero econverso suam allegans continue innocentiam simulque innocentem se facere, non obstante, quod gladium iuxta sententiam iuratorum in manus suas econverso recepit, prout ordo iuris sibi dictavit. Super et in quo presentibus vobis supplicamus attente nos informari via iuris etc.“

Super quo responsum est ipsis: „Quod de processu vestro et ordine iudiciario presenti mirari non sufficimus, cum vos novicii iurati non sitis et tamen gladium nudum in manus Mikssonis dari et recipi sententiastis! Cum tamen gladius evaginatus in manibus suis per iudicem et vestros iuratos repertus non est, nec in fuga detentus, quis enim per talem vestrum processum iuridicum et sententiam de homicidio accusatus et productus vinci non posset! Vel qualiter hic quantumcumque expers contra talia defendere et expurgare se deberet! Posset enim Mikssoni vel alteri gladius vel cultellus ad manus vel brachia aut collum sententiari vel ligari! Sed, quo iure nescimus! ymo si iudex et iurati gladium evaginatum in manibus Mikssonisprehendissent^{h)}, dummodo[ne]¹⁾ viderunt actum vulneris, ad huc, nisi alie circumstantie evidentius approbarent, allegatio defensionis iusticialiter sibi concederetur, vita tamen et consideratione sua, quam duxit, considerata. Quare in causa presenti secundum formam iuris debitam et antiquitus approbatam sententiam hanc definitivam dicimus et promulgamus: Quod, si amici interfecti Mikssonem accusant de homicidio, tunc primo et principaliter actor interfecti propinquior metsecundus prestet coram iusticio iuramentum calumnie, videlicet voreyd, in hunc modum¹⁾, *quod nec invidie nec inimicie causa, nisi de culpabili et suo vero reo conqueratur. Quod si non fecerit aut in iuramento eodem cespitaverit, actor querimonie sue renunciabit coram iudicio, quam contra suspectum habebat.* Quod iuramento sic peracto, ex tunc actor sicut reum impetit testibus vel sine testibus, taliter reus ipse se defendet et respondeat iusticia mediante, fama nichilominus ipsius, ut predicatur, pensata eius et allegatione et opinione.“

18.²⁾ Rubrica de columbis et pavonibus. Item iure Brunnensi scripto: Columbe et pavones equale ius quodammodo habent hoc modo;

^{h)} Hs. prendidissent. ¹⁾ ne fehlte in Hs., das weitere wäre aber sonst sinnlos.

¹⁾ Folgt Wortlaut aus c. (2) jura originalia. ²⁾ S. o. S. 479.